

05

A

987



2

SUSPENDIUM
HOMINIS
LAPIDIBUS
OBRUTI,

*ad illustranda commata Deut. XXI, 22.
& Gal. III, 13.*

ex Historiâ Hebræâ

PRÆSIDE,

THEODORO DASSOVIO,
Lingvæ sanctæ, & Orientalium
reliqvarum P. P.

publicè tuebitur

M. GEORGIUS RIVIUS,
Rotenburgo Francus,

IN AUDITORIO MAJORI.

WITTENBERGÆ,
LITTERIS FINCELIANIS 1699.

SUSPENSUM

HOMINIS

LAPIDIBUS

OPERTIS

et cetera

et cetera

et cetera

et cetera

THEODORO DASSOVIO

et cetera





I. N. J.

§. I.



Ametſi intempetiue obruebant lapidibus reos homines nonnunquam, ut vel ante Synedrium, vel ante ædes patrias malæ frugis liberos invaderent, tamen ſi in loco ſolito extra urbem, ſolenni ritu peterentur lapidibus malefici, ex loco edito dejiciebantur, & ſi nondum morerentur, prægrandi ſaxo, à teſtibus præcipitato, confringebatur pectus, aut ſi nondum conciderent exanimés, imbribus quaſi lapidum proſtrati ſuccumbebant. Ita traditur in *Miſchna de Synedrio cap. 6. ſive nigmar haddin.* ac in *Scholis Maimonidis & Bartenoræ in b.l. edit. de Triento in fol. ut & in Toſepbeth Jom. Tobb. in b.l. edit. VVülmerſd. in 4.* Eandem doctrinam repetit *Maimonides in ſuo tract. de Synedrio cap. 15.* ejuſque ſententiam confirmant, *Schem Tobb in Commentario Migdal OS primæ editioni Maimonidis Venetæ ſubnexo & Joſepb, Karo in Commentario Ceſepb Miſchne,*

ne, alteri editioni Majmonidis Venetæ adjecto; Idem
asseritur in Tanchuma edit. Mantuanæ fol. 49. col. 1.
§ 2. ita etiam Chaldaicum verbum Regam intelli-
gitur in Elie Meturgeman edit. Spirens. fol. 142. col. 2.

§. II. Hæc poena à synedrio summo infligebatur, li-
cet facilè concedamus, aliàs urgente necessitate etiam
in synedrio minore criminaliter adverti in reos potu-
isse, fidem faciente libro Schylchan. Aruch. in Cho-
schen Hammischp. Hilch. Dajanim fol. 2. edit. Venet.
hac tamen lege, ut à synedrio minore ad summum
possent appellare, ut docetur ibidem §. 14. Quæ ap-
pellandi ratio ut sese habuerit explicat Mardochai Ja-
phe in Lebuschir Susanbilch. Dajanim §. 14. edit.
Pragens.

§. III. Ex quo autem exhalarant animam obruti la-
pidibus suspendebantur cadavera eorundem ex ligno,
non quasi collo constringerentur, sed quod manus
colligatæ ligno appenderentur, vultu si esset Vir ad
populum, si esset foemina ad lignum converso; Non
tamen ex arbore, sed ex ligno pendebant, quod unà
cum homine reo sepeliebatur, ut docetur in cap. 6.
Mischne citato, & in Gemara Babyl. Sanbedr. c. 6. f.
45. col. 2. edit. Amstel. idem asseritur in Alschech
Thorath Mosche edit. Prag. in sectione Ci Teze in b. l.
conf. Raymundus in pugione fidei edit. Lips. p. 856.
Lignum quoque non arborem intelligit Franciscus
Tayler.

Taylor in versione Targum Hierosolymitani edit. Lon-
din. fol. 87.

§ IV. Accuratius adhuc suspensionem illam deline-
at Codex Manuscriptus, qui Seder Moed, Seder
Naschim & Seder ischut explicat, ubi in capit. Nigm.
baddin bal. 2. tituli de Synedriis hæc leguntur verba:
כיצד וסומך ממנה יוצא ועץ בארץ הקורה ארץ משקין עושין
שתי אותן ומתירין בידיהן אותן ותולה וקושרין זו גבי על זו ידיו
מיד העץ על נבלחו תלין לא שנ תעשה לאב עובר לא ואם
Quomodo faciunt? *infigunt palum terre, ex quo li-
gnum egreditur, ambaque manus sibi invicem impo-
nuntur, liganturque & suspendit illum (carnifex)
manibus, solvuntque illum statim; Quod si non fiat,
præceptum negativum transgrediuntur, quia dicitur,
non pernoctabit cadaver ejus in ligno. Ibid. legitur:*
אחר קושר ואחר מתיר כרי לקיים בו מצות תליה
Unus li-
gat, & unus solvit, ut confirmant præceptum su-
sensionis.

§. V. Idem quoque confirmatur à Salomone Jarchio
in Deut. 21. qui apertè fatetur, veteres Hebræos in eo
consentire, quod lapidati fuerint suspensi. A qua sen-
tentia nec Aben Esra in h. l. alienus est. *Quod au-
tem per noctem non relinquerentur cadavera in li-
gno, patet ex Beth Jacob edit. Pragens. fol. 108.
col. 4.*

§. VI. Itaque qui lapidum ictu moriebantur suspen-
di publicè solebant, licet suspensos etiam illos fuisse

non inficiemur, qui strangulatione finiebant vitam. Undè facile apparet emendari debere *Alphonsum Tostatium*, qui operum Tom. 3. edit. Colon. p. 197. ad locum Deut. XXI. ita commentatur: Sed intelligendum est, in casibus illis, in quibus peccatum non est tantum, ut specialem exigat poenam, & hinc datur ista (suspensio) tanquam minor (pœna.) Quæ verba nullum veteris historiæ consensum habent.

§. VII. Nec assensum merentur verba *Johannis Cocceji*, in Gal. 3. edit. Francof. refutantis *Kimcbium*, negantisque solos improbos, & qui Deum blasphemassent, apud Judæos factos esse execrabiles. Nam expresse affirmat *Abarbanel* in *Perusch Hattora* edit. Venet. fol. 379. col. 2. solos blasphemos & idololatrias post lapidationem suspensos fuisse, tanquam præcipuos & execrabiles peccatores; Licet enim alii Judæi suspensionem ad omnes lapidatos, extendant, tamen illa blasphemis & idololatriis imprimis competeat. Nec præteriri debet, *Clariff. Coccejum* in excerptis *Gomare* in *Sanbedrin* & *Maccoth.* edit. Amstel. Anno 1629. p. 256. & 257. ubi de sepultura hominis lapidati agit, non assecutum *Gemaræ* sensum esse, & pleraque non rectè transtulisse, nec illa emendata in iterata ejus editione esse, ut, quæ ex ingenio supplevit, deleri ferè omnia jure meritoque debeant.

§. VIII. *Jacobus quoque Bonfrerius* in b. l. edit. Antverpien

verpiensis p. 992. non satis cautè *Burgensem, Vatablum & Emanuelem Sa* refutat, blasphemos & idololatrias suspensos fuisse, rectissimè sentientes. Opponit enim, istos fuisse lapidibus obrutos, cum tamen lapidatio suspensioni non obstet, siquidem iidem, qui petebantur lapidibus, post mortem suspendebantur, ut *Josephus lib. 4. Antiqu. cap. 8. & Philo lib. de specialibus legibus* cum aliis judæis testatur. Imò inter supplicia quatuor capitalia à Rabbinis annotata incongruè suspensionem recenset *Bonfrerius*, cum inter illa strangulatio, quâ vivi plectebantur. non vero suspensio, quæ cadaverum erat mortuorum, referatur.

§. IX. *Rectius Cornelius à Lapid. in b.l. Deut. 21. edit. Antwerp. p. 992.* commentatur, suspendium ad maximè facinorosos pertinuisse; si illos, qui lapidibus petebantur, per facinorosos intelligat; quamvis ex remotione cadaverum ad criminis atrocitatem nequeat concludere, cum omnium facinorosorum cadavera, etiam non suspensorum, apud juda os removerentur & sepelirentur.

§. X. Album etiam meretur calculum *Johannis Nicolai glossa in Carolum Sigonium, de Rep. Ebraeorum p. 491. edit. Helmstad. qui maleficos ait non è collo sed ex utroque brachio fuisse suspensos, ut suspensio non tam supplicium, quàm supplicii esset consequens.*

§. XI.

§. XI. Nec sua destituendus laude est *Hugo Grotius*, qui in locum Deut. 21. edit. *Francof. p. 594.* aperte scribit lapidatos fuisse suspensos; cumque addit: *strangulabantur enim stantes apud Hebræos, non suspendio; sequitur Mischnam de Synedriis cap. 7. §. 4.*

§. XII. Sed vix conijcimus, quid in mentem venerit summo *Viro, Davidi Chythræo, ut in Deut. 21. edit. VVittenb. p. 100.* ita commentaretur: *Tantopere enim DEUS abominatur homicidia, & omnia peccata, æternæ & immotæ justitiæ ejus adversantur, ut non solum vicissim interfici & destrui homicidas, & aliis sceleribus pollutos velit, verum etiam cadavera illorum, velut abominabilia homicidii spectra, ex conspectu & oculis removeri & tolli velit, ne contagione illorum aër ipse polluatur.* Nam homicidæ non obruebantur lapidibus, nec eorum cadavera suspendebantur; sed gladio illis capita amputabantur: unde nec in classe lapidatorum homicidæ recensentur. Vid. *Mischna de Synedriis c. 7. §. 4. & c. 9. §. 1.* Nec verba Hebræa, ut putat *Vir Clarissimus*, hunc admittunt sensum: quia contumeliosè DEUS suspensus est, sed ita verti debent: quia maledictio DEI s. maledictus suspensus est.

§. XIII. Melius sentit doctissimus *Philippus Henricus Friedlibius qui in Theolog. Exegeticæ Tom. 1. edit. Francof. p. 303.* explicat, quomodo maledictus sit, qui pendet in cruce, & dicit hominem suspensum ob
infa-

infame genus supplicii Deo quodammodo esse abominabilem, quia Dei ipsius iudicio tali infamia notetur. Quæ verba bene sese habent, & confirmantur ab *Abarb. in Per. Hattora fol. 379. col. 3.* qui hominem suspensum præ ceteris fuisse maledictum asserit; Sed, cum in sequentibus & ipsa mors, ait, per suspendium in ignominiam Deo quodammodo cedebat &c. indicat, quod suspensione ereptam fuisse vitam arbitretur, cum tamen suspensio cadaveribus tantum competeret, non verò viventibus, ut Hebræi diligentissimè inculcant.

§. XIV. Itaque lapidati post mortem suspensi vocabantur maledicti, fidem faciente *Abarbanele, loc. cit. fol. 379.* docentque nihil suspensio fuisse abjectius & contemptibilius. Hinc etiam *Jarchi in Deut. 21.* קללה *dicit esse summam* contemptionem, cum homo vilissimo loco habeatur, & nullius sit pretii. Nam vult קללה esse קללה, quam vocem de contemptu explicat *Elias Thisbites in Lex. edit. Bas. fol. 29. col. 2. init.* Ita etiam *Kimchi in R. קללה edit. Venet. fol. 439.* explicat קללה de contemptu, quod, si quis in tueretur hominem suspensum, dixerit illum blasphemasse & contempsisse Deum, & propterea esse suspensum; Monet tamen in præcedentibus etiam lapidatum suspensum fuisse vocatum maledictum. *Conf. Aben Melech, edit. Amstel. fol. 40. col. 1.* unde patet, ita suspensum fuisse maledictum, ut propterea valde

B

con-

contemneretur & subsannaretur, tanquam homo vilissimus. Idem confirmat *Joseph Bar Isaschar in Joseph Daath. edit. Pragens. fol. 43.* qui exemplaria impressa cum Manuscriptis hac super re diligenter contulit.

§. XV. Quamvis autem in Græco textu ad Gal. 3. v. 13. non vertatur vox Flohim, quæ in Hebræo legitur, neque legatur maledictus DEi, sed maledictus; inde tamen *Hieronymus colligere non potuit corruptos esse Hebræos codices.* De quo videatur *Heinsius in Exercit. sacris edit. Lugd. Bat. fol. 446.*

§. XVI. Non autem suspensus vocatur maledictus, quia pateret publico conspectui post mortem, cui alii facinorosi, aliâ affecti poenâ non exponerentur ut commentatur *Franciscus Carrier in Commentario in universam Script. edit. Lugd. fol. 114.* Sed potius ut maledictionem & contemptum sustineret, suspendebatur; neque illa maledictio illi occasionaliter inferebatur, sed illam facinoris atrocitate promerebat, & sustinere debebat.

§. XVII. Nec Hebræi cum maledictionem suspensioni tribuunt ad cruciatum crucifixionis sævissimum respiciunt; quasi illum malam rem, vel maledictionem nuncupent, ceu arbitratur *Ferdinandus Quirinus de Salazar in expositione in proverbialia Salom. T. I. edit. Paris. p. 319. col. 1.* Nam
su-

suspensio fiebat post mortem, ubi nulli amplius cruciatus sentiri poterant.

§. XVIII. Adumbravit autem homo lapidatus suspensus, suspensionem Christi in Cruce. Unde Athanasius Tom. I. operum edit. Paris. pag. 77. Nam, inquit, si ideò venerat Christus, ut piacula execrationesque portaret, quomodo alià ratione, execratio aut piaculum fuisset, nisi execrabilem mortem in se reciperet? Est autem hoc ipsum, crux, quemadmodum scriptum est: execrabilis quicumque in ligno pendet: Deut. 21. Ita quoque docet Theophylactus in Comment. in Epist. Paul. Edit. Londin. p. 464. scribens: indicat igitur solutam esse per Christum execrationem. Dato enim pretio, per hoc quod ipse factus est maledictio, redemit nos à maledictione Legis, quam ipse quidem evasit &c. Et Epiphanius T. I. operum edit. Col. p. 700. quoniam maledictus omnis qui pendet in ligno (Deut. 2.1.) itaque cum ob crucis supplicium constituta sit maledictio, Christus porro veniens in cruce peccata nostra sustulerit, ac semetipsum nostrà causà tradiderit, Ejus nos sanguis redemit, ipsiusque corpus execrationes nostras discussit, cum scilicet pœnitentia crucis, adventuque suo peccata nostra dissolvit.

§. XIX. Itaque ad hanc suspensionem lapi-

B2

dati

dati alludi videtur, cum Christus cum suspendo maledicto comparatur ad Gal. 3.

§. XX. Non autem ibidem conferri *Christum cum serpente aeneo* in ligno suspendo probabile est, cum varia sint, quæ hanc sententiam impugnent, ut descendere in eam nequeamus, licet facile largiamur, illum serpentem typum gessisse Christi.

§. XXI. Nec Deut. 21. verbis, quia maledictus à Deo est suspensus in ligno, significari, quantum detrimenti per impium vitæ inferatur religiosæ clarum est, ut nedum vivus illi maximè obsit, in qua degit, Religioni, sed & per apostasiam mortuus illam & pravorum exemplorum reliquiis & fœtore pessimi contaminet nominis, quemadmodum explicat *Michael Gbislarius Romanus Tom. I. in jerem. edit. Lugdur. p. 130.*

§. XXII. Longè melius commentatur *Josua Arndius in manuali Legum Mosaicarum* in domo undecima §. 7. cum scribit; Lapidati primò, deinde suspendebantur; *Joseph. libr. 4. c. 8.* Lex jubet ut tollatur cum solis occasu; Ratio; ne contaminet terram, quia est maledictum Domino. i. quia talis mors erat probrosissima & 2. quia respiciebat Christum.

§. XXIII. His ita expeditis, videndum quoque est de filio rebeli & contumaci, cujus mentio Deut. 21. injicitur, qui que ibidem lapidandus dicitur, suspendiq; debuit, si parentibus non obtemperaret.

§. XXIV.

§. XXIV. Illum Filium nonnulli existimant pe-
titum lapidibus fuisse ob solam obedientiam paren-
tibus denegatam; *Unde Piscator edit. Herborn. p.*
435. in b. l. filios contumaces esse capitis supplicio af-
ficiendos concludit, & ea de causa ab aliis refutatur.

§. XXV. Quamvis autem minimè inficiemur,
hunc filium rebellem obsequium parentibus dene-
gasse, tamen non propterea tantum obruebatur lapi-
dibus, sed aliæ accedebant causæ gravissimæ, ob quas
hæc ipsi pœna atrocissima jure meritoq; infligebatur.
Nam ille homo *in Mishna de Synedrio cap. 8. §. 2.*
Edit. Tridentinæ in fol. fol. 189. pag. 2. Et edit. Me-
nasse Ben. Israel Amstel. fol. 137. pag. 2. in 8. ita de-
scribitur, quod comederit carnes in constitutione
novilunii, (quo tempore tantum pane & legumini-
bus vescabantur) quod comederit decimas secun-
das Hierosolymis, quod comederit morticina & la-
cerata, sive morti proxima, res abominabiles & re-
ptilia, quod comederit res nondum decimatas, & de-
cimas primas antequam auferretur Teruma (sive
pars 40. vel 50. vel sexagesima danda sacerdotibus,
priusquam decimæ separarentur pro Levitis) & deci-
mas secundas, & res sacras nondum redemptas; quod
comederit tempore prohibito v. g. comederit in jeju-
niis publicis, & præterea §. 3. dicitur, quod hic filius re-
bellis furatus sit bona patris, ut haberet quod devora-
ret extra ædes patrias: Quæ omnia explicantur *in Com-*

*mentariis Maimonidis, Bartenora, edit. Trid. & Jom
Tobb. edit. VVülmersd. in banc Miscbnam.*

§. XXVI. Cum quibus consentit *Ralbag. in Pe-
rusch al Hattora edit. Veneta, in charta cœrulea fol.
230. col. 1.* qui itidem hunc filium rebellem simul fu-
isse furem scribit, qui bona Patri clam surrepta dilapi-
darit, ut cibo & potu indulgeret, ac præterea moni-
tus à synedrio minore, & punitus ab eodem, flagella-
tusque noluerit redire ad frugem, ut Parentes coacti
fuerint ducere illum ad Synedrium, ut gravius in eun-
dem animadverteretur. *Conf. jepbe Mareb. edit. Ve-
net. fol. 592.*

§. XXVII. Fatetur quoque *Moses Nachmanides Ge-
rundenfis, in Biur al Hattora edit. Veneta, sine textu Bibli-
co impressa, fol. 146. col. 2.* hunc filium rebellem non mo-
do contempsisse Parentes & iis repugnasse, sed & epulo-
nem ac helluonem fuisse, qui Legem DEI, sanctitatem
præcipientem, protervè transgrederetur, affectumque fu-
isse Lapidationis poenâ, ut alii inde exemplum caperent,
legemque divinam venerarentur.

§. XXVIII. Hinc etiam *Bechajin Biur al Hattora edit.
Cracov. fol. 127. col. 3.* scribit, hunc filium rebellem divina
præcepta transgressum esse, & hinc à parentibus debuisse duci
ad synedrium, ut ostenderetur, parentes magis amare Deum,
ejusque præcepta debere, quam filium, licet amor parentum
in liberos sit fortissimus.

§. XXIX. An autem uterque parens, vel solus tantum,
pater

pater hunc filium rebellem adducere ad synedrium debuerit disputatur. *Theodoretus Tom. 1. operum edit. Paris. p. 168.* existimat, & Patrem & Matrem consentire in accusatione filii hujus debuisse, antequam potuerit occidi. Quæ sententia albo approbatur calculo in *Mischna de synedriis c. 8. cit. §. 4.* ubi dicitur: *si pater ejus velit (accusare illum) mater autem nolit, vel si pater noluerit, mater autem velit, non fit filius rebellis & contumax donec ambo voluerint.* Deinde subjungitur: *Si unus illorum (parentum) sit mutilus, vel claudus, vel mutus, vel cæcus, vel surdus, non sit filius rebellis & contumax: quia dicitur: & prebendent illum pater & mater ejus: ergo non debent esse mutili, & educent illum, ergo non debent esse claudi, & dicent, ergo non debent esse muti, hic noster filius, ergo non debent esse cæci, non audit vocem nostram, ergo non debent esse surdi.*

§. XXX. Sed nova oritur *Quæstio: an Deut. 21. versus 22. & 23.* Cum autem fuerit in viro peccatum quod mereatur mortem, & occidatur, & suspendas illum in ligno, non pernoctabit cadaver ejus in ligno, sed sepeliendo sepelies illum eodie, quoniam maledictus Dei est suspensus, & non immundabis terram tuam, quam *Jehova Deus tuus dat tibi in possessionem*, an inquam illi versus referri ad filium rebellem & contumacem debeant? Sanè veteres Hebræi in ea sunt sententia, & dicunt, si parentes filio parcant, illumq; accusare nolint, quod tum occidatur à synedrio, sive obruatur lapidibus, suspendaturque, quia si notorius peccator est, inquiritur in illum à senatu. *Vid. jarchi in b.l. & Elias Misrachi, diligentissimus jarchii interpret, in b.l. edit. Cracov. fol. 304. col. 4.*

§. XXXI. Restat ut de pernoctatione in ligno aliqua adjiciamus. Hoc certum est, suspendio post mortem fuisse punitos reos apud veteres Hebræos, ut inter alios testatur *Obadias de Saphorno in Biur al Hattora edit. Venet. f. 73. col. 1.* ubi suspendium vocat contumeliam illatam post mortem. Cum quo paria facit *Abarbanel, qui in Per. al. Hattora p. 379. col. 2.* hanc
sen.

sententiam strenuè defendit. Conf. quoque *Aruch. edit. Venet. fol. 93. col. 1. inf.* Poenam enim fuisse suspendium patet, ut docet *Calovius in Deut. 22.* Cur autem non debuerint relinqui cadavera in ligno, inquirendum est.


§. XXXII. *Jacobus Bolducius Tom. 2. in librum job. edit. Paris. p. 132. ex Andrea Masio* refertrationem, cur lex supplicio crucis affectos sepeliri voluerit, esse hanc, quoniam ex diutino in cruce spectaculo facile deduci quis in extinctæ animæ opinionem posse videretur, minusqve rectè de futura corporum resurrectione cogitare.

§. XXXIII. Sed potior videtur fuisse ratio, ne tactu cadaveris immundarentur homines, imprimis cum immundities ex mortuo contracta in gente Hebræa inter omnes immundities esset maxima. Quò tendit expositio *Luca Osiandri in Deut. 21. in fin.*

§. XXXIV. Atque sic suspendium excussum est, quomodo se apud judæos habuerit. Licet autem lignum in quo rei suspendebantur, vocari possit patibulum, ut illud vocat *Jeckut biel in versione bibliorum Germanica in Deut. 21. edit. Amstelod. & lignū quoque sumatur pro patibulo docente Flacio, in clave tit. lignum, edit. Fenensis p. 387* tamen supplicium crucifixionis apud Hebræos usitatū non fuit, quia non inter supplicia crucifixio tanquam peculiare supplicium recenseretur, sed tantum suspensionis, tanquam alterius supplicii consequentis, mentio injicitur. Nec verbum *הלך* præcisè significat suspendere vivum hominem, vel in crucem agere, cum etiam de illis rebus usurpetur, in quas crucifixio non cadit; v. g. suspendi dicuntur in clavo ligneo carnes vel pisces, vel panes, quæ nō dicuntur crucifigi. Vid. *Nathan Benjechiel in Sepher Herauch edit. Venet. fol. 162. col. 4.*

SOLIDEO GLORIA.





2

NDIUM
MINIS
DIBUS

UTI,

ata Deut. XXI, 22.
III, 13.

Hebræa

SIDE,

DASSOVIO,
& Orientalium

m P. P.

uebitur

US RIVIUS,

o Francus,

RIO MAJORI.

BERGÆ,
CELIANIS 1699.

